

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob


Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

II. Eiusdem Oratio (*) inauguralis De Philosophia Polemica sobrie in docendo pertractanda.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

716 II. Sigism. Jac. Apini, P. P. Oratio inaug.

simi, Amplissimi, Experientissimi, Clarissimi, Theologi, Iurisconsulti, Medici, & quotquot sunt, quibus Sapientia & Litterarum Studia sunt cordi, benevole audire dignentur, ea qua par est observantia, modestia & humanitate rogo & contendo. P. P. NORIBERGÆ
D. III. CAL. NOVEMBRIS CIO IOCCXXII.



II.

Eiusdem ORATIO (*) inauguralis
De
Philosophia Polemica sobrie
in docendo pertractanda.

P. P. Tit.

Dispicienti mihi de idoneo primi sermonis argumento, plurima, nec ab hoc loco & tempore, nec ab officio gratiose de-

(*) Nondum edita hæc est oratio, auspicando in auditorio Ægidiano Noriberg. muneri Professorio a Cel. Apino præmissa. Damus vero eam ex apographo, ab eodem nobis benevole transmissa, & nitidissime accuratissimeque exarato Noribergæ a persona sexus feminini, quod idem per literas nuperrime nos docuit.

demandato aliena, de quibus verba facerem, animo meo obversabantur; sed omnia ista in aliud potius tempus differre, & hoc, quod intimavi, præ reliquis eligere placuit, tum ut Vobis, Domini & Auditores spectatissimi, suscepti negotii ratio constaret, tum ut iis, quibus nihil, nisi quod novitate sua se commendat, rectum atque gratum est, opinionem de me adimerem, ac si rem dudum explosam atque tritam, ab orco, ut ita dicam, revocarem, sicque Iliada post Homerum canerem.

Mitius tamen, spero, de qualicunque opera nostra iudicium dabunt illi, quibus haud obscure constat, quanti hodie sit æstimatedata ita dicta *Philosophia Polemica*, a diversarum opinionum recensione earumque refutatione veritatem plausibili satis successu deducens, quæ certe docendi methodus primo intuitu se commendat egregie & auditoribus ideam viri multæ magnæque lectionis adumbrat. Cœpit autem non heridemum vacillare apud me hæc interpretandi ratio, cum viderem, has recensioni, ubi ad ipsam veritatis investigationem ventum est, vel omnino nos deserere, vel saltem discentibus inanes opiniones loco veri-

veritatis præter voluntatem nostram instillare, quarum nullus omnino datur usus.

Quemadmodum vero ab eo tempore, quo instituendæ moderandæque iuventutis provinciam nactus sum, nihil prius, nihil antiquius habui, quam ut, si quid ingenii, si quid laboris & diligentiae, si quid in liberalium artium studiis consecutus essem, id omne in publicam utilitatem liberaliter effundere possem; ita non incongruum duxi, ad Vos, Domini & Auditores venerandi, de mea hætenus consueta & in posterum continuanda docendi methodo, in quantum controversiarum studium concernit, ea, qua par est, brevitate differere. Quo studiosius autem discentium commodis hoc ipso consultum iri, cognitum ego habeo, eo firmiorem spem ex honorifica vestra præsentia concepisse me profiteor, fore, ut pro summo vestro in bonas litteras amore, æquas ac benevolas aures dicenti mihi præbeatis, imbecillitatem vero meam favore atque attentione vestra benignissime sublevertis.

Si vere recteque, Domini & Auditores honoratissimi, a sapientissimis & eruditionis laude valde conspicuis viris traditum est,

est, eam demum veram & efficacem esse rerum notitiam, cuius in vita civili singularis datur usus: rectissime profecto verissimeque dici poterit, sapientis titulo minus dignum esse, qui de multis rebus multa cognoscit, ac de iis loqui didicit, ne tamen iis ad vitæ huius felicitatem promovendam uti vult & potest. Mittamus ergo de numero stellarum inter se altercantes, exoptemus nonnullis imaginatione sua captis desiderata hætenus immensa telescopia, turbas plusquam stentoreas, & machinas per ærem navigaturis accommodatas, ut incolas lunæ videant, cum illis loquantur & habitent, reducesque maiorem assertis suis fidem concilient. Observent, nostra pace, alii Diabolum & infernum in ipsa solis facie, nos, meliora edocti, non curamus eiusmodi vanas & inutiles speculationes, ne animum quidem, utpote meris opinionibus nixas, oblectantes, sed ad ea studium, operam, mentem denique omnem applicabimus, quæ utilitate sua se commendant. Ex horum numero autem esse susceptum orationis meæ argumentum, luculenter patebit, modo ea, qua dignum esset, gratia & dicendi copia, a me parum diserto oratore exponi posset.

Vt

Vt autem ab ovo, quod aiunt, rem exordiar, audivistis iamiam, Auditores omnium ordinum honoratissimi, me Philosophiæ Polemiciæ nomine intelligere accuratam disquisitionem solidamque refutationem contentionum super quæstione dubia, ubi tres, quatuor pluresve contrarias & repugnantes de re eadem habemus sententias eruditorum. Observatione dignum hic existimo, quod non omne statim sit controversum, quod est dubium & incertum. De cuius enim veritate nondum constat, illud est dubium & adhuc indeterminatum; neutiquam tamen est controversum, nisi quando determinatione facta, alter in negativam partem pronunciat, alter in affirmativam, & uterque suam determinationem tanquam veram & rerum naturæ conformem defendere audet. De eiusmodi ergo quæstionibus controversis nunc quæritur: *an discantibus, si non ex instituto desiderant earum solutionem, in collegiis cum fructu & utilitate possint proponi?*

Non vereor quæstionis negativam tueri, quanquam multos, qui ad eruditionem ex omnibus auctam partibus contendunt, mihi obiicere videam: opposita iuxta se posita
magis

magis illucescere, sacratissimarum litterarum arcana a sordibus monstrosarum opinionum esse purganda, discentiumque denique animos eo flectendos, ut in tempore ex multis opinionibus optimam eligere discant, rationibusque confirmatam ad vitæ usque exitum defendant. Quæ cuncta quidem & alia plura ex tractatione Philosophiæ Polemicæ redundantia commoda, si mecum perpendo, haut contemnenda eruditioni omni inde elucet accessio, & a me etiam eiusmodi studium maximopere commendari solet, sed non advenis & recens natis studiosis, verum illis, qui iam sunt maturioris iudicii & fundamenta rerum, ductu præceptorum suorum, locarunt. Sic negandum non est, primis Ecclesiæ repurgatæ temporibus, omnino de necessitate fuisse, ut studium polemicum præ cæteris excoleretur, atque Doctores nostri tam in scholis quam in scriptis publicis in armis essent, non carnalis quidem, sed spiritualis militiæ, donec adversarii, si non κατ' ἐξω tamen κατ' ἐσω convincerentur. Quare Paulus etiam ad Titum capite I, 9. postulat, ut quisque Ecclesiæ Doctor sit δυνατὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, quia

Nunquam bella piis nunquam certamina de-
sunt,

Et quocum certet, mens pia semper habet.

Interim tamen ex sapientissimo præstantis-
simorum Theologorum consilio factum vi-
demus, ut, qui ad pedes eorum sedent, non
prius in hoc studiorum genere informatio-
nem capiant, quam Theologiæ Theticæ suf-
ficientem possideant cognitionem. Est enim
boni patrisfamilias, non tantum fructus per-
cepti rationem habere, sed ea etiam con-
ferre & redigere in computum, quæ ex bo-
nis male sint collecta. Agite igitur Domi-
ni & Auditores perquam colendi, hos imi-
temur nunc, & quid damni patiantur di-
scientes ex nimio Polemicæ Philosophiæ stu-
dio, brevi oratione perputemus. Conci-
pio autem mihi auditores, ut arbuscu-
las nuper plantatas. Quemadmodum enim
vix radices agere possunt, si non diligen-
tissime a ventis impetuosius custodiuntur;
ita discientes, utpote περιφερόμενοι παντὶ ἀνέ-
μῳ τῆς διδασκαλίας Eph. IV, 14. raro ad soli-
dam eruditionem pervenient. Nam expe-
ctant auditores ea tantum, quæ explican-
do auctori sunt idonea. Hinc fieri aliter non
potest,

potest, quam ut, cum desint iudicandi vires, summa imis misceant, & in toto studiorum circulo confundantur. Deinde doctrina in se conceptu facilis, coacervata hypothesium diversarum allegatione earumque refutatione, difficilis redditur, & nausea studiorum inde in animis discientium conciliatur, quæ cum sua luce radient, prolixiori non opus habent probatione. Porro discientes ad similes altercationes movendas & lites aliquando ferendas præparantur. Nam credunt in aliorum placitis refutandis veram positam esse sapientiam, sicque aliter fieri non potest, quam ut a veritatis investigatione plus iusto detineantur. Nam nihil magis veritati obest, quam litigium, audiunt sæpe decem & plures, plerasque speciosas, sententias, nec solide refutatas, hinc pessimam quandoque eligunt, sicque se & alios cum die & tempore decipiunt. Sed venio ad ultimam rationem, qua evincere studebo, prolixam hypothesium enarrationem neque utilem neque necessariam esse. Quid enim iuvat, aliorum noscere errores? quid iuvat, in hac vel ista doctrina Aristotelis, Cartesii, Clerici, Leibnizii aliorumque adducere sententias easque omnes reiicere, melioremque

deniq; substituere? Cur non statim ab initio animi sensus declaro, si veritatis studium, hoc ut in fine faciam, legem imponit. Prudenter itaque & pro ea, qua pollet, iudicandi facultate, egregie iudicat celeberrimus Hallensium Mathematicus, Christianus Wolffius, in præfatione ad Partem II. Physicæ Experimentalis, quando dicit: *In veritatis investigatione non eram sollicitus, quid alii statuunt. Multiplices aliorum sententias malo nescire quam scire. Et parum refert, an digito enumerare possim, quid alii somnia verint. Nec decet, ut ibi mendicæ aut mente capti hospicio excipiantur, ubi Reges aut Principes se quieti tradunt.* Quibus ultimis præcipue verbis docere voluit, veritatem in nobilissima hominis parte, mente puta, residentem, effusa quasi opinionum diversarum plaustra respuere. Ad Philosophiæ Polemicæ studium, omni laude dignum, hæc omnia referenda esse, nemo non videt. Hinc oprandum esset, ut, quæ in systematibus, compendiis, & aliis libris Philosophicis, inspersæ leguntur controversiæ, solícite colligerentur, & sub titulo Logicæ, Metaphysicæ, Ethicæ Polemicæ ederentur, quarum deinde peculiaris institutio desiderantibus dari possit

Qua

Qua propter mediam hic observans viam sapiens doctor, neque in servitutem alienarum cogitationum, multo minus verborum, se adigi patitur, sed præmissis ad conciliandos auditores, laudibus auctoris, quem prælegendum sumsit, argumenti iucunditatem & utilitatem ostendit, doctrinæ summam explicat, controversias ortas indicat, & auctores, a quibus illæ solutæ reperiuntur, commendat, cordata libertate ubicunque cum modestia temperata, dissensum suum, ubi opus est, declarat, operamque simul dat, ut auditores magis rationum ponderibus, quam auctoritate sua, aut ullis aliis modis, speciem coactionis habentibus, in suam sententiam perducatur. Et si hoc modo exemplis, parabolis, dictatis discursui intermixtis res aliqua illustratur, confirmatur, corroboratur, non video, quid amplius desiderari possint auditores, præcipue, si meditatione privata veritatem dictorum examinent, controversas sententias in commendatis auctoribus legant, & a præiudiciis vacui sapientiam magis in voluntatis quam solius intellectus emendatione quærant. Possem hanc meam sententiam, secundo per singulas disciplinarum classes,

uberius confirmare, dum ostenderem, quomodo missis & posthabitis omnibus controversiis, Logica, Metaphysica & ceteræ moralis doctrinæ partes cum fructu doceri possent; verum hæc res est maioris conatus & amplioris spatii. Quamobrem ista omnia iam a me præteriri, quam attacta deserui, satius esse opinor. Modo illud mihi concedatur, quod ex veris certisque principiis, adhibito quoque in subsidium veritatis criterio, omnis sit derivanda veritas, & qui hanc tenet, quæsitamque invenit, poterit erroneas quascunque sententias facili negotio diluere, ita, ut proluxa earum recensione atque refutatione tempus perdere non sit opus.

Vereor aures vestras, Auditores honorandi, iam audiendo fessas, amplius fatigare, unum tantum, pace vestra, adhuc proferam, quod taceri non potest, deinde desinam. Mirari nempe subit, *cur nihilominus nonnulli recensendis aliorum hypothesebus, iisque refutandis, adeo sint occupati?* Venit hoc, si quid iudicare valeo, ex nimio isto, quod in litteris meis, ad hunc actum invitatoriis, argui, Historiæ Litterariæ studio. Hoc enim non permittit, ut multum inquirent in ipsam veritatem

tatem

tatem, sed iudiciis aliorum & diversarum opinionum recensione freti, optime interpretis officio se satisfecisse, credant. Hinc est, quod ea interdum adscribi doctissimis viris audias, quæ ipsis ne in mentem quidem venerunt unquam. Sed quis non videt, variam multæ lectionis ostentationem, & polyhistorias affectationem, inseparabiles huius studii esse comites. Accedit, quod non raro ignorantia docentium sub hac multarum rerum affectata scientia tegatur, ut, si minus præparati ad docendum accedunt, vel materiæ gravitas explicandi vires superat, in prælegendis autoribus, iisque refutandis, tempus consumant.

Cur igitur eiusmodi ostentatores non similes dicamus iis, qui vino malo suspendunt hederam; quique de navi onusta vitiosis mercibus suspendunt magnificam tabulam, ibi omnia esse sana, pretiosa, integra, restantem. Nihil nunc dicam de iis, qui sæpius aliorum placita reiciunt, quia vel cum suis præconceptis opinionibus alterius sententiam conciliare nequeunt, vel mentem eius & principia, ex quibus ille veritates deducit, non assequuntur.

Nulla autem spes erit controversiarum

finiendarum, nisi ubique ex studio veritatis philosophari & progredi didicerimus. Quamdiu enim illa caoethes iudicandi de re qualibet, sive distincte, sive confuse cognita, tantum culpatur, non autem emendatur: quamdiu ratiunculis quibuscunque uti licet in argumentationibus nostris, & integrum relinquitur, qualicunque glaucomatum apparatu, ad determinandum aliquid provolare: tamdiu contentionum & litigiorum non potest esse finis, sed perpetuas habebimus accusationes, inculpationes, defensiones, iurgia, rixas.

Dum enim quilibet suo sensu vult abundare, & id, quod temere semel affirmavit vel negavit, maiori temeritate postmodum, conquisitis undique ratiunculis topicis, defendit, tandem hoc argumentorum nihil probantium cumulo, affectus, qui mentem & rationem obfuscant, & pestis iudicii sunt, excitat, conscientiae vero & intellectui sereno parum satisfacit. Vnde plerumque illae conditiones in aperta iurgia & accusationes gravissimas resolvuntur, ita, ut nimium altercando veritas utrinque tandem haud raro amittatur.

Sed ne longius auribus vestris, Domini

et

et Auditores colendissimi, prolixitate verborum sim molestus, ad Deum, ad quem omnia referre decet, mea refluit oratio.

Quas ergo Tibi laudes, o Pater optime! quas gratias & quibus verbis dicam, non invenio, qui me miserum coram Te & abiectum hominem sola tua providentia, ad eam, quam nunc tuis auspiciis aggredior, provinciam, evocasti. Quare cum Te auctore cuncta sint gesta, ad Te, o praesidium meum unicuique confugio, qui & muneris impositi gravitatem & meam infirmitatem satis intelligo sentioque, Te peto, Te obsecro, velis mihi animi corporisque vires largiri, ut discipulis meis veram sapientiam instillare, concreditumque talentum in aliorum usus expendere valeam, quod ut feliciter multoque fiat cum foenore, Tu dabis o benignissime Deus! qui haec actionibus meis clementer benedixisti. Et quemadmodum TUA non mea res agitur, sic TUA non mea erit unica & sempiterna gloria. Annue o Sancta Trias voto!

- - - *nostrasque manus quas tendimus ad TE,*

Felices fac esse operum, fac esse laborum.

Z z s

Per-

Permittite vero etiam, Perillustres atque Generosissimi Domini, Reipublicæ Proceres, Patriæque Patres optimi, Mæcenates gratiosissimi, ut Vobis non quas debeo, sed quas possum devotissimas nunc publice agam gratias, pro benignissime in me collato munere, cui omni tempore omnibusque viribus ita præesse studebo, ut præclaræ huius voluntatis & collati beneficii nunquam Vos pœnitere queat. Servet modo, qui nutu suo omnia regit, Deus, Vos semper incolumes, felices, fortunatosque, concedatque ex alto, ut gloria & splendor vester in dies magis magisque amplificetur. Hoc ut fiat, sancta religio, quam hic fovetis, Numen exorabit propitium, Astræa fori facilitabit negotia, Hygeia vos civesque vestros præstabit integros, Philosophia denique Rempublicam vestram felicem reddet, ut porro tantum reliquas inter caput exerat urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Ad vos me nunc converto, ceterorum ordinum Auditores honorandi, & gratissima declaro mente, quantopere me obstrictum sentiam, quod sepositis gravioribus negotiis

tiis vestris, paratissimo studio, ore gratulante, animisque faventibus mihi dicenti adesse volueritis. Est certe hoc magnum favoris vestri argumentum, eoque magis mihi omnia bona, iucunda & facilia auguror, quo certiori fiducia vestro patrocinio licet niti. Nullam ego manibus elabi patiar occasionem, qua testificari possim, quanto studio cuiusvis beneficia demereri cupiam.

Vos vero seorsim compellare liceat, a quorum salutari opera & auxilio auditorium hocce doctrinae melioris luce collustratur, & ad quorum latus cathedram occupare, perquam honorificum mihi duco. Vos publice rogo & obtestor, velitis mihi illam benevolentiam, quam plus vice simplici erga me declarare voluistis, conservare integram. Ego certe omne id praestabo, quod collegio tam nobili adscripto dignum videbitur, & dabo operam, ut vobis meam observantiam & honoris cultum quavis data occasione declarem.

Tandem & paucis vos volo, Generosi, nobilissimi atque eleganter docti Viri Iuvenes, qui optimis studiis haecenus graviter operati, ea amplius pervestigare cupitis

tis; Vobis me dabo totum, vobis mea officia semper præsto erunt, & commodis vestris invigilabo totis viribus, ut sic nobilem vestrum impetum constanter foveam & magis magisque accendam. Inprimis, ut, missis subtilitatibus scholasticis, quæ in Logica atque Metaphysica occurrunt, ad vera sapientiæ fundamenta vos deducam, cura mea erit, propterea omnes terminos exemplis perspicuis illustrare constitui, atque sic animos vestros disponere decrevi, ut veri indagationi maturi assuescant, &, quod finis vester erit, divinarum humanarumque rerum cognitionem, veris fundamentis superstructam, cum die & tempore ex voto acquiratis. Habebitis me si non strenuum Ducem, fidum saltem, qui latus vestrum non derelinquat, Achatem. Vestrum erit, studia mea benevolentia atque assiduitate excitare. Hæc votorum meorum summa est, quam ut a Deo T. O. M. consequar, Vos quæso, Domini & Auditores, mecum precamini.

D I X I.

III. Me-

III.
MEDITATIO
DE
INCREMENTO PHYSICES PER
MEDICOS FACTO,

QVA
MEDICO DE EADEM SCIENTIA OPTI-
ME MERITO VIRO MAGNIFICO EX-
CELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. IOANNI IACOBO
BAIERO

PHILOS. ET MED. DOCTORI
PRAX. BOTAN. ET CHIMIAE PROFESSORI
PVBLICO ORDINIS SVI SENIORI PHYSICO NORIMB.
ET POLIATRO ALTORF. NEC NON ACAD.

IMPER. NAT. CVR. COLLEGAE

SPONSO

Cum Virgine Sexus Sui Virtutibus Ornatissima

SOPHIA MAGDALENA
SCHOENERIA

SPONSA

NVPTIAS SECUNIDAS CELEBRANTI

INTER PIA VOTA GRATVLATVR

M. SIGISMVNDVS IACOBVS APINVS,

DESIGNATVS

ALVMN. NOR. ET OECONOM.

INSPECTOR.

VIR